



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Anastasius Mart. 22. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Ian.
ino-
uit.
item
um,
sus,
pre-
ente
m &
pere
runt.
, &
cam-
tan-
enas

xar-
ntem
inus
elut.

dum
flo-
du-
tha-
rum
luce
n or-
nus,
suf-
asio
s cæ-
citur
nova

12.Ian. VITÆ SANCTORVM. 51
nova urbis Romæ, sed virgo, sed non latro, Lucre-
tia. Porrò dum Emerentiana virgo ad AGNETIS
tumulum precatur, lapidibus obruta suoque lu-
strata sanguine (nam fonte sacro non erat) à paren-
tibus AGNETIS prope filiam conditum; quibus non
multò pōst inter candidatum virginum agmen
AGNES cum AGNO sponso suo visendam se dedit
vetuitque deinceps mōrere, & tam felicem tha-
lamum, quem optimè nupta inscendisset, lacrimis
aspergere. Ex S. Ambr. & Brev. Rom.

Prospectant sancti Angeli tui certaminis exitum, co-
ronas gemmis coruscantes tenentes in manibus, ut illas
perseveranti largiantur. Pudeat te, oro, pudeat in con-
spectu celestis senatus & Imperatoris aeterni segniter
dimicare. B. Justinian. in fascic. amoris.

S. ANASTASIUS MART. 22.Ianuarii.

O pima spolia abstulisse in Persiam se Cosrhoas
putavit, cùm Crucem S. abstulit, sed nimirum
quæ Persiam spoliarent. Sanè multorum fides no-
stra in animum, simul Crux in oculos venit, in-
terque eos ANASTASII celebris magi filii, qui cum
de Cruce Crucisque anathemate multa curiosè
quæreret, jam tum gestiebat magna pati pro maxi-
ma paciente Christo. Itaq; sanctissimus transfuga
Ierosolymæ Christianum, mox monachum in-
duit; nullâ re sic delectatus, uti res fortiter à Di-
vis gestas legendo, martyribus præfertim, quibus
ille tot palmas tyro invidebat, & interea cùm san-
guinem nondum posset, lacrimas ubertim funde-
bat. Ut primū ergo in privato pulvere exercuit
sese, prodiit in aciem ultrò hostem laceffens. Igi-
tur ad latomias damnatus saxa tulit, dein verbera.
at ille supinus membra etiam nuda lubens pul-

sanda præbuit, modò vestibus sanctis parcerent. Tanti ille jam tunc fecit cucullum, quem heri natus ridet hodie hæreticus. Cæterùm collum pedemque communibus cum nescio quo scelerato vinculis ligatus dies noctesque velut Hilaria inter cantus solennes traduxit, ut jam ad se Cælites etiam raperet pontificali majestate & insolito splendore insignes, quos inter visus est unus aliquis odoribus (ah! qualibus?) Martyrem venerari. Igitur post altera virgarum clavæque verbera, post tibias fractas aliaque supplicia, tandem cum XL.sociis Martyrum torque, laqueo, est donatus.
Ex Surio.

Non interroges ô homo ea, quæ pateris. sed quæ Christus passus est; quanti te fecit ex his, quæ pro te factus est, agnosce. Quantò enim minorem se exhibuit in humanitate, tanto majorem exhibuit in bonitate: & quantò pro me vilius, tanto mihi charior est. S.Bern. serm. i. de Epiph.

S. CLEMENS E. M. 23.Ianuarii.

Triumphavit CLEMENS Præsul Ancyranus sub annum CCC.III. quando sub sacrificiū (ad quod alias Cælites illi panem & vinum ministrarunt) ferro cecidit. Rarò tam splendide in cælo est triumphatum. Lictores labore fessi victique innumerí præcessere. Acti ante currum tyranni, Domitianus, Diocletianus, Maximianus, aliique non unā pugnā devicti. Præferebantur virgarum, flagrorum, funium, catenarū, fustium, taurearum, securium, faxorum benè magnus numerus. Hinc culei, equuleiisque & obelisci sequebantur. Inde è ferro manus, galeæ, styli, subulæ, ungulæ, laminæ, pectines, rotæ, grabati, fornaces, omnia à flammis ignea.